



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt in sabbato sancto ieiunium ante noctis initium non soluatur. ix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



quod remedium inueniri posset, congregati traduntur Galliarum episcopi apud Viennam urbem, atque in commune statuerunt, vt triduanum ieiunium facerent. Cumque dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias, ante Ascensionis domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum summa reuerentia & deuotione, cum abstinentia carnis, & humilitate cordis, non vt visibilium luporum rabien euadamus, sed vt invisibilium, id est, spirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis preciosis induatur: quia in sacro & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & commestationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalciati pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choros ducant: sed omnes in commune Kyrieleson decantent, & cum contritione cordis Dei misericordiam exorent, pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro cæteris necessitatibus. Dies enim sunt abstinentiæ, non lætitiæ.

*Vt in cæna domini, vt in reliquis Quadragesimæ diebus, ieiunium non soluatur. Cap. VIII.*

Ex cõcil.  
Laodicæ.  
cap. 50.

**Q**uod non oporteat in quadragesima in vltima septimana V. feriæ ieiunium soluere, totamque quadragesimam sine veneratione transire, magisq; conueniat omnem quadragesimam districto venerari ieiunio.

*Vt in sabbato sancto ieiunium ante noctis initium non soluatur. Cap. IX.*

Ex cõcil.  
Arausico,  
cap. 2.

**V**T in sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ, ieiunium ante noctis initium, nisi à paruulis aut infirmis, non soluatur, nec ipsa in Parasceue: quia cæna domini & Parasceue, & sabbatum ad illos XL. dies respiciunt: Vel diuina mysteria his duobus diebus non celebrentur: canonicis quippe iubentibus biduo isto, id est, Parasceue & sabbato, sacramenta pœnitentis non celebrari.

*Quod non oporteat in quadragesima natalitia sanctorum celebrari. Caput. X.*

Ex concil.  
Laodice.  
cap. 51.

**Q**uod non oporteat in quadragesima martyrum natalitia celebrari: sed eorū sancta cõmemoratio in diebus sabbatorum & dominicorum fieri conueniat.